Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8266
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Unde dies nascitur, inde initium fidei processit. Quia fides lumen est animarum. Quando enim aliquid ab occidente nascitur contra orientem, dominacio mali ostenditur contra bonos. Quando autem ab oriente nascitur contra occidentem, dominacio boni ostenditur contra malos. Quoniam igitur in temporibus christi iusticia subiugata fuerat in iniusticiam et fides in infidelitatem, ideo ab oriente venerunt principia fidei. Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum. Numquid nesciebant quod in iherusalem regnabat herodes? Numquid non intelligebant iusticiam legis, quod quicumque rege vivente alterum regem pronunciat aut adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? Sed dum considerabant regem futurum, non timebant regem presentem. Adhuc quidem non habebant pro oculis suis periculum mortis, qui talem rem illicitam usurpabant. Sed non curabant de morte. Si autem curassent de morte, numquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant christum, et iam parati erant mori pro eo. O beati magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, ante quam christum cognoscerent, christi facti sunt confessores. Legi apud aliquem magos istos ex libris balaam divinatoris appariture huius stelle scienciam accepisse. Cuius divinacio posita est et in veteri testamento: Orietur stella ex iacob et exurget homo ex israel et dominabitur omnibus gentibus. Et audivi aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa, tamen non destruente fidem sed pocius delectante. Quoniam erat quedam gens sita in ipso principio orientis iuxta occeanum, apud quos ferebatur quedam scriptura inscripta nomine Seth, de paritura hac stella et muneribus ei huiusmodi offerendis, que per generaciones studiosorum hominum patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque elegerunt se ipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores et amatores misteriorum celestium, et posuerunt se ipsos ad expectacionem stelle eius. Et si quis moriebatur ex eis, filius eius aut aliquis propinquorum qui eiusdem voluntatis inveniebatur in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem magusei lingua eorum, quia in silencio et voce tacita deum glorificabant. Hii ergo per singulos annos post messem trituratoriam ascendebant in montem aliquem positum ibi, qui vocabatur lingua eorum mons victorialis, habens in se quandam speluncam in saxo, fontibus et electis arboribus amenissimus, in quem ascendentes et lavantes se orabant et laudabant in silencio deum tribus diebus. Et sic faciebant per singulas generaciones expectantes semper, ne forte in sua generacione stella illa beatitudinis oriretur. Donec apparuit eis descendens super montem illum victorialem, habens in se quasi formam pueri parvuli et super se similitudinem crucis, et locuta est eis et docuit eos et precepit ut proficiscerentur in iudeam. Proficiscentibus autem eis per biennium precedebat eos stella, et neque esca neque potus defecit in peris eorum. Cetera autem que retulerunt ab eis in evangelio compendiose posita sunt. Tamen cum reversi fuissent, manserunt colentes et glorificantes deum studiosius magis quam primum, et predicaverunt omnibus in genere suo et multos erudierunt. Denique cum post resurrectionem domini thomas isset in provinciam illam, adiuncti sunt ei et baptizati ab eo facti sunt adiutores predicacionis ipsius.